DE PRIMA MUNDI ÆTATE.

Diſputatio Theologico-Critica

AD MENTEM

D. THOMÆ AQUINATIS

V. ECCLESIÆ DOCTORIS

Ad defendendum propoſita

A. F. THOMA MARIA SOLDATO O. P.

In Cęnobio Gradenſi S. Th. Auditore.

PRÆSIDE R. P. F. VINCENTIO CORONA S. TH. LECTORE.

Facta cuique poſt Tertium contradicendi poteſtate.

Anno MDCCLVI. Menſe Martio.

VITERBII TYPIS JOSEPHI POGGIARELLI

Superiorum Permiſſu.

REVERENDISSIMO PATRI.

F. VINCENTIO LUPINACCIO O.P.

S. Th. Magistro, Provinciæ Calabriæ Expræfecto, Ac Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Reliquiarum Consultori.

F. THOMAS MARIA SOLDATUS EIUSDEM ORDINIS FELICITATEM.

CUM multa mihi egregie a majoribus nostris inventa, tum illud Sapientissime institutum videri solet, ut omnis, quę de quacumque re publice ad defendendum proponitur, disputatio alicui, vel generis nobilitate, vel dignitate, vel meritis excellenti, pręstantique Viro nuncupetur. Quamquam enim in huiusmodi, quæ ingenio suscipiuntur, concertationibus, non aliorum Patrocinio, sed rationum vi, atque copia agendum sit; plurimum tamen Patroni, eius præsertim, qui dijudicandi facultate præstet, autoritatem prodesse, neminem esse arbitror, qui ignoret. Quamobrem cum arduam hanc, difficillimamque cum doctissimis viris disceptandi Provin-

ciam suscepissem, continuo quęrendum aliquem esse existimavi, cuius me ope, præsidioque defenderem. Neque vero considerandum mihi diu fuit, ut esse Tibi, Reverendissime Pater, disputationem hanc qualemcumque meam nuncupandam, nominandamque constitueram, cum in Te omnia, quæ requiri in Patronis solent, auctoritatis, dignitatisque ornamenta esse perspexissem. Ac de Turanorum ducum, ex quibus ortus es, nobilitate, rebusque a majoribus Tuis domi, militięque pręclare gestis nihil est, quamobrem esse a me hoc loco dicendum putem. Ego enim cum singularem virtutem Tuam, Sapientiamque considero, in eam sententiam adducor, ut hæc, quæ fortunæ ornamenta sunt, non virtutis, neque Tui propria, sed Tibi cum alys communia, non esse in Tuis laudibus numeranda censeam. Ac Tu quidem quanti ista penderes, tum profecto omnibus demonstrasti, cum honoribus, ac dignitatibus, quas Tibi Generis claritas, merita Majorum, Familiæque opes polliceri videbantur, spretis, dare nomen in Prędicatorum Sodalitatem voluisti. Noveras enim firmam, stabilemque gloriam, ac nominis immortalitatem, quam unam & expetendam, & quærendam ab homine esse arbitrabare, non opibus, non honoribus, non dignitatibus, sed virtute, Sapientia, rebusque præclare gestis comparari. Iam vero Ordinem ingressus, cum non utilem modo, verum etiam necessariam aliorum saluti procurandæ scientiam esse intellexisses, curam omnem Tuam, diligentiam, operam ad optimarum artium cognitionem contulisti, tantumque in illis brevi temporis spatio profecisti, ut cum Philosophiam, Theologiamque professus fuisses, atque a nostris Magister dictus, Te Clemens XII. P. M. unum ex omnibus elegerit, qui primus in Italo-Græco S. Benedicti Collegio, quod Collegium Cor-

sinium

finium appellari vulgo solet, Theologiam explicares, ac reliquis studiis omnibus praeesses. Quid ego nunc de Tua in omnes humanitate, ac facilitate dicam? Quid miram in rebus gravissimis constituendis, decernendisque prudentiam commemorem? Quid incredibilem in maximis negotiis suscipiendis fortitudinem, expediendisque celeritatem prædicem? Quamobrem cum tot, tantisque virtutibus floreres, nihil est, quod miremur, Te cum aliis plerisque, tum præsertim Regio S. Dominici in Suriano Cœnobio (cui qui præsunt iidem, & novem oppidis præsunt, & jure sanguinis potiuntur) ac postremo universæ utriusque Calabriæ Provinciæ mira omnium consensione fuisse præfectum, quas dignitates tanta cum laude sustinuisti, ut omnibus ad alios regendos non institutus, sed factus a natura videreris. Verum ego & hæc, & alia multa, quamquam fortasse graviora, tacitus prętereo, ne longior sim, quam instituti mei ratio postulet. At præclarum Benedicti XIV. Pontificis Maximi, qui universam Ecclesiam incredibili Sapientia moderatur, de virtute Tua judicium tacitus pręterire neque possum, neque vero debeo. Nam si a maximis & auctoritate, & dignitate viris probari magna laus est, ac propemodum singularis, quis non videat, quantus ad laudes Tuas reliquas ex tanti Pontificis judicio cumulus accedat? Atque is tantus Pontifex, quanti Te faceret, esse omnibus testatum voluit, cum Te Sacrę Congregationis Indulgentiarum, & Reliquiarum Consultorem renunciavit. Nunquam enim Tibi tam præclarum munus detulisset, nisi singularem virtutem Tuam, Sapientiamque longe ante cognovisset. Atque hæc ea sunt, Reverendissime Pater, quæ, ut omnium Tibi animos, voluntatesque conciliant, ita me, ut Tibi (quamquam Te insciente, ac etiam invito,

quę animi Tui moderatio est) disputationem hanc meam inscriberem, impulerunt. Reliquum modo est, ut & hoc qualecumque observantię erga Te meæ munus, qua soles, humanitate excipias, & me in arenam, aciemque prodeuntem auctoritate tua, Patrocinioque, in quo ego spem omnem meam, præsidiumque colloco, tuearis. Vale.

DE PRIMA MUNDI ÆTATE
DISPUTATIO.

I.

Etsi nemo plane sit, qui rerum omnium, quę sub aspectum cadunt ordine, pulchritudine, varietate, distributioneque perspecta, totam hanc rerum universitatem a Sapientissimo pręstantissimæ mentis numine esse creatam natura duce non intelligat, eademque, impellente non fateatur; fuerunt tamen plerique scelestissimi homines, qui cum vel in magna rerum Divinitus traditarum ignoratione versarentur, vel novis rebus studerent, nostræque Religionis dogmata evertere molirentur, Mundum, resque omnes corporeas creatas a Deo O. M. fuisse pertinacissime negarent. Atque ut Ethnicorum Philosophorum, quibus recentes Athej sunt assensi, commenta tacitus prętermittam, quę cum diligenter, accurateque confutata ab alij sint, disputationem nostram non desiderant, varii, multiplicesque in hoc genere fuerunt errores Heterodoxorum. Principio Simon Samaritanus, (ut ab hęreticorum Principe exordiar) qui ob Magiam, quam profitebatur, quamque non utilem solum, sed necessariam etiam, ad ęternam beatitatem consequendam esse prędicabat, Magus a nostris est dictus, Mundum ab Angelis creatum existimavit. Nunc & eius auditor Menander Patria item Samaritanus, & Menandri auditores Saturninus, qui & Saturnilus nuncupatur, Antiochenus, Basilidesque Alexandrinus sunt secuti. Quamquam horum paulo discrepans est, atque immutata sententia. Nam Saturninus Mundum ab VII. Angelis Basilides ab Angelo Cęli CCCLXV. effectum posuit. His Sethianj, Cajani, atque ii, qui sæculo Ecclesiæ V. Angelici vocati sunt, aliique quamplurimi sunt assensi. Neque Carpocratis, Cerinthique, aliarumque pestium generis ejusdem, dissimilis admodum opinio est. Omnes namque Mundum ab creata, terminisque circumscripta substantia effectum pugnant, etsi in ea constituenda (quod est hęreticorum proprium) dissideant. Quamobrem jisdem locis, jisdemque rationibus confutati sunt a nostris, qui commentarios adversus hęreses edide-

ediderunt. Nam Mundum non ab Angelis, corporibusque vocantibus substantiis, sed a Deo conditum fuisse ex Scriptura constat. Etenim Moses Geneseos I. vers. I. totam hanc rerum universitatem a Deo creatam tradit; Mosi autem & *Iohannes* cap. 1. quo loco omnia a Deo *per Verbum facta, & sine ipso factum nihil* scribit, & *Paulus* ut XVII. Actorum capite habetur, consentit. Confer *Iobum* cap. IX. *Davidem* Psal. XXXII. atque *Isajam* cap. XLII. & cap. XLIV. Itaque recte *Epiphanius* Hæresi XXII. *Nonne*, inquit, *etiam convictu facilis Prudenti cujlibet occultè proseminatus ille error fuerit, cum Scriptura teste*.. In principio creaverit Deus Cęlum & terram? *Quibus consentaneum est quod Dominus in Evangelio Deum Patrem alloquens dicit*: Pater Domine Cæli, ac terrę. *Quod si Cæli, terręque conditor est Deus Pater Domini nostri Jesu Christi frustra omnia a Sycophanta Simone jactantur: Mundum scilicet ab Angelis cum defectu fabricatum.* Adi – sis *Irenæum* lib. II. adversus hęreses cap. I. & II. *Theodoretum* lib. V. hęreticarum fabularum cap. IV. & *Augustinum* lib. XI. de Civitate Dej cap. XXIV. & XXV.

II. Neque vero prudentior in hoc genere Hermogenes fuit. Is enim veteres Philosophos qui ex nihilo nihil fieri posse existimabant, sequutus, materiam, ex qua Mundus, resque omnes corporeę sint eductę infectam Deoque coęternam posuit. Verum is vehementer erravit. Omnia enim quę sub aspectum cadunt, creata ex nihilo fuisse Scriptura testatur. Atque ùt alia omittam Auctor, libri II. Machabeorum cap. VII. ita fortissimam illam Matrem, cujus eo loco historia describitur, filium suum alloquentem, atque ad supplicia alacri animo ferenda cohortantem inducit: *Peto nate, ut aspicias ad Cælum, & terram, & ad omnia, quę in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, atque hominum genus.* Quę res confirmari etiam Mosis auctoritate potest. Enimvero si effectus ex ingenita materie Mundus a Deo O. M. fuisset, id Moses in ea, quam de Mundi creatione texuit historia, numquam omnino prętermisisset. Nam *Spiritus Sanctus*, ut recte lib. contra Hermogenem cap. XXII. Tertullianus scribit, *hanc Scripturæ suæ rationem constituit, ut cum quid ex aliquo fit, & quod fit, & unde fit referatur.* Itaque reliquarum omnium rerum effectionem referens Moses, quibus ex rebus educta res quęque fuerit, docet. Quamobrem *nos & de Cęlo, & de terra compotes reddidisset significando, unde ea esset operatus, si de aliqua materia origo constaret illorum* quemadmodum est ab eodem Tertulliano loco laudato animadversum. Cum igitur nihil, ex quo producta ista sint, indicarit, jure optimo non modo nostri, sed Judej etiam ex nihilo effectum esse Mundum judicarunt. Ac recte quidem Theophylus Antiochenus lib. II. ad Autolycum: *Dei*, inquit, *Omnipotentia in hoc apparet, quod ex non extantibus facit quæcumque vult.* Nam si ut hominem, sic etiam Deum aliena ope indigere statuamus, *quomodo*, ut Sapienter lib II. Divinarum Institutionum cap. IX. Lactantius scribit. *ab homine divina illa vis differet? ..... Indiget autem, si nihil moliri potest, nisi ab altero illi materia ministretur. Quod si sit, imperfectæ*

nisque

utique virtutis est; & erit jam potentior judicandus materiæ institutor. Quo igitur nomine appellabitur, qui potentia Deum vicit? Siquidem majus est propria facere, quam aliena disponere. Si autem fieri non potest, ut sit potentius Deo quicquam, quem necesse est perfectæ esse virtutis, potestatis, rationis; idem igitir materiæ fictor est, qui & rerum ex materia constantium. Mitto reliqua rationum momenta, quibus sententiam nostram Lactantius eo capite demonstrat. Nam singula ut proferam, libelli brevitas non patitur. Consuli etiam potest *Tertullianus* lib. contra Hermogenem, *Theophylus Antiochenus* lib. II. Autolycum, *Augustinus* lib. de Genesi imperfecto cap. I. *Petrus Chrysologus* sermone XLVI. ac postremo *Concilium Lateranense* IV. cap. *Firmiter.* tit. *de summa Trinitate*.

III. Jam Origenes, Origenisque discipuli, cum animas omnes eodem tempore a Deo creatas, earumque quamplurimas se se sceleribus miserrimè implicuisse, censerent, Mundum, resque omnes, quę sub oculos cadunt, a Deo effectas, ut animę, quę peccassent, corporibus, veluti carceribus quibusdam inclusę criminum pęnas darent, docuerunt. Impium commentum, atque homine Christiano indigna plane sententia! Nam si animę omnes, quę in corpora sunt dejectę, peccarunt, & Christi animam, quę conjuncta corpori est, peccasse fateamur necesse est. Qua re quid non modo dici, sed cogitari absurdius potest? Itaque non modo a Patribus omnibus, verum ab Ecclesia etiam damnata jamdudum Origenis sententia fuit. Nam S *Leo* epistola XCIII. ad Thuribium Episcopum Asturicensem cap. X. de Priscillianistis, què errorem hunc revocare conabantur: *decimo*, inquit, *capitulo referuntur asserere animas, quæ humanis corporibus inseruntur, fuisse in corpore, & in cælesti habitatione peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas in diversæ qualitatis Principes incidisse, & per aereas, & sydereas potestates alias duriores alias mitiores corporibus esse inclusas sorte diversa, & conditione dissimili, ut quidquid in hac vita varie, & inequaliter provenit, ex præcedentibus causis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt: sed omnes eos Catholica Fides a corpore suæ unitatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus non fuere: nec ab alio incorporentur nisi ab Opifice Deo, qui ipsarum est Creator, & corporum.* Vide *Concilium Braccarense* II. quod anno DLXIII. contra Priscillianistas est habitum, & *Anathematismum* I. ex iis, qui ad calcem Tractatus Iustiniani Imperatoris contra errores Origenis legantur, suntque ab V. Synodo Æcumenica probati. Ex Patribus vero *Gregorium Nissenum* lib. de Opificio hominis cap. XXIX. *Hieronymum* epist. LXI. quę est ad Pammachium, & epist. XVII. ad Augustinum, *Augustinum* ipsum lib. contra Priscillianistas, atque Origenistas ad Orosium cap. VIII. & lib. XI. de Civitate Dei cap. XXIII. *Epiphanium* heresi LXIV. num. IV. ac postremo *Cyrillum Alexandrinum* lib. I. in Ioh. cap. IX. quo loco uiginti quatuor rationibus, & Origenis commentum refellit, & dogma Catholicum confirmat.

IV.

IV. Nunc unone temporis momento, an sex, ut Moses narrat, diebus perfecta Mundi creatio fuerit, est a nobis demonstrandum. Ac Deum *simplicissimo*, ut Scholastici ajunt, actu materiem omnem, ex qua educta res queque fuit, e nihilo eduxisse nemo nostrum est, qui vocet in controversiam. Quare omnis est inter nostros de rerum productione ornatuque disputatio. Diffident autem ea de re Patres Interpretesque Scripturarum. Nam Origenes Philonem, ut arbitror, sequutus, *a quo ceu fonte allegorica omnis ennarrandæ Scripturę ratio in Ecclesiam manavit*, quemadmodum *Photius* in bibliotheca cod. CV. scribit, Augustinus, Albertus Magnus, Cajetanus aliique nonnulli Augustinianę Familię Theologi Mundum resque omnes uno temporis momento creatas defendunt. Contra Theophylus Antiochenus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nissenus, Ambrosius, Iohannes Chrysostomus, Theodoretus, Gregorius Magnus, Rupertus Abbas, ac reliqui omnes Theologi, ac Scripturarum Interpretes sex diebus rerum productionem ornatumque prefectum tuentur. Nam S. Thomas etsi propendere in hanc sententiam videatur, nihil tamen definit, ut *neutri sententiæ* veluti ipse ajt, *præjudicetur*. Tantum apud ipsum tum etiam cum ab reliquis Patribus oppugnaretur, Augustini auctoritas potuit. Ego vero quamquam Augustinum faciam, ut debeo, plurimi, neque eos probem, qui Augustini opinionem ut erroneam damnare ausi sunt, adduci tamen, eam ut probem, nullo modo possum. Ita namque Mundi creationem ornatumque describit Moses, ut narratio ipsa, ad litteram, ut ajunt, esse, quę ille referat explicanda, satis indicet. Quamobrem cum nihil in ea Mosis narratione, sit, quod cum Rei natura, veritateque pugnet, ut est ab eodem Augustino lib. III. de Doctrina Christiana demonstratum, Augustini vero opinione constituta multa nobis explicatu difficilia occurrant (quo enim modo quę de Adami Euęque productione cap. II. ac de Sabbathi pręcepto Exodi XX. Moses habet, explicari a nobis queunt?) non esse quę Moses tradit, figurate interpretanda existimo. Neque vero cum hoc facio, injuriam Augustino facio. Nam is opinionem illam probabilem judicavit, certam non judicavit. Quare lib. IV. de Genesi ad litt. cap. XVIII. *Quisquis ergo*, inquit, *non eam, quam pro nostro modulo vel indagare, vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie, meliusque possit intelligi, quærat, & divinitus adjutus inveniat. Fieri enim potest, ut etiam ego aliam his divinę Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ pręponenda sit, inveniri non posse contendam.*

V. Ac de Mundi quidem creatione ornatuque satis est a nobis, ut arbitror disputatum. Nunc quę ad primum hominem spectant, quam brevissime potero, explicabo. Igitur Deus cum Cęlum, terram, herbas, arbores, pisces, volucres, animalia, aliaque omnia produxisset, postremo hominem, qui omnibus preęsset sexta die creavit. Porro hunc, qui ea

die

die eſt conditus omnium primum eundemque Adamum fuiſſe tam plane conſtat, ut negari id a nemine, qui Scripturis auctoritatem adhibeat, poſſit. Nam Moſes & *adducta* ad hunc (ideſt Adamum ut ex conſequentibus patet) *animalia omnia, ut videret quid vocaret ea, & mulierem Evam, eo quod mater eſſet cunctorum viventium*, nuncupatam narrat. Jam cap. V. Geneſeos. *Hic eſt*, inquit, *liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dej fecit illum. Maſculum, & feminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati ſunt.* Atque id oſtendi etiam a nobis Auctoris libri Eccleſiaſtici, Paulique teſtimoniis poteſt. Nam ille cap. X. *Hæc* ait (ideſt Sapientia) *illum qui primus formatus eſt a Deo Pater Orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus cuſtodivit, & eduxit illum a delicto ſuo. Paulus* autem Acto. XVII. de Deo in Areopago diſſerens: *Fecitque*, inquit *ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*. Paria habet in I. quam ad Corinthios dedit epiſt. cap. XV. & in epiſt. ad Romanos cap. V. Quapropter inſulſum Iſaaci Pereyri hominis de ſecta Calvinianorum de Pręadamitis commentum reprobatum ab omnibus non Catholicis modo verum etiam hęreticis fuit. Nam Adamum omnium omnino Gentium Parentem fuiſſe & allata a nobis ſcripturarum teſtimonia, & perpetuùs cum Iudeorum, tum Chriſtianorum conſenſùs traditioque demonſtrat.

VI. Sequitur ut de terreſtri Paradiſo, in quo poſitus a Deo O. M. Adamus fuit, diſſeramus. Atque illum corporeum quemdam locum fuiſſe, nec explicari, quę Moſes narrat, allegorice poſſe recte eſt a noſtris, quorum mihi ſententia probatur conſtitutum. Nam *ſi nuſquam eſt in terra Paradiſus, neque vera ſunt, quæ in Geneſi continentur, ſed allegorice dicunt, nihil deinceps conſequens, ac veritati conſentaneum erit, ſed ad allegoriam univerſa transferentur* ut eſt ab *Epiphanio* in Ancorato num. LV. graviter animadverſum. Cur enim quę de Paradiſo Moſes narrat explicari allegorice poſſunt, quę de Mundi Creatione, de productione hominis, de Evę lapſu narrat, non poſſunt? Quare exagitatus a noſtris vehementer Origenes eſt, qui figuratè Moſis narrationem interpretandam eſſe exiſtimavit. Etſi enim allegoricè etiam explicari illa queant, ut eſt ab Auguſtino lib. II. de Geneſi contra Manichęos demonſtratum, everti tamen ſine ſcelere hiſtorię veritas nequit. *Etenim narratio Moſis* ut lib. VIII. de Geneſi ad litt. Auguſtinus idem ſcribit, *non eſt figuratarum rerum ſicut in Can. Canticorum, ſed expoſitio rerum omnino geſtarum ſicut in Regnorum libris*. Ac. recte quidem *Iohannes Chryſoſtomus* homil. VIII. in Geneſim *idcirco* inquit, *nomen loci Scripturis inſeruit B. Moyſes ut non liceat negari volentibus imponere ſimpliciorum auribus, & dicere nullum eſſe in terra Paradiſum ..... & fabulas quaſdam eiuſmodi ſomniare*. Legito *S. Methodium* apud Epiphanium hęreſi LXII. num. XLVII. *S. Hieronymum* epiſt. LXI. *S. Ambroſium* lib. de Paradiſo *S. Iohannem Chryſoſtomum* loco laudato. *Theodoretum* Interrogatione XXV. in Geneſim. *S. Auguſtinum* loco indicato. *S. Iohannem Damaſcenum* lib. II. de Fide Orthodoxa & *Moſem Bar — lepha* lib. de Paradiſo.

VII.

VII. Neque minus reprehensi a nostris Pineda, Ortelius, Noviomagusque sunt, qui terrestrem Paradisum non certum quemdam, secretumque locum, sed universum terrarum Orbem fuisse existimarunt. Ac miror equidem homines in Scripturarum lectione versatos, quique plures esse Mundos minime censerent, in hęc opinionum monstra, flagitiaque incidisse. Etenim post funestum illud universoque hominum generi luctuosum Adami scelus ejectos ex felici illa fortunataque sede Protoparentes nostros fuisse, positumque Cherubim, qui aditum illis, eorumque posteris intercluderet, Moses refert. Quamobrem si Paradisus universus hic terrarum Orbis erat, ejectum hinc Adamum, neque factum illi ejusque posteris huc redeundi potestatem tueantur necesse est. Id autem cum Patrum, Interpretumque Scripturarum, qui & vixisse hic, & mortuum esse Adamum defendunt, traditione pugnat. Igitur sive ejectum e Paradiso Adamum non fuisse mendum est, sive Paradisum certum quemdam locum fuisse confitendum. Sed nihil est, quamobrem in re per se clara perspicuaque diutius morer. Quamobrem ad Paradisi locum veniamus.

VIII. Ac Paradisum in Oriente consitum fuisse Scriptura testatur. Nam quo loco Latinus Interpres *Plantaverat autem Deus Paradisum voluptatis a principio*, vertit; Septuaginta *Et plantavit Deus Paradisum in Eden ad Orientem* reddiderunt. Neque versio Latina textus Hebręo — Samaritani, atque Arabica discrepat. Prior namque sic habet: *Plantavit quoque Dominus Deus hortum in Eden ab Oriente*; posterior autem *Et plantavit Deus hortum in Eden ab Oriente*. Quare veteres omnes Patres Paradisum illum in Orientalibus Regionibus (etsi de loco vehementer dissiderent) consitum judicarunt. Consule *Irenæum* lib. V. cap, V. *Theophylum Antiochenum* lib. II. ad Autolycum. *Lactantium* Lib. II. Divinarum Institutionum cap. XIII. *Basilium*. homil. XXX. de Paradiso. *Iohannem Chrysostomum* homil. XIII. in Genesim. *S. Augustinum* lib. II. de Genesi contra Manichęos cap. IX. *Diodorum Tarsensum* apud Theodoretum interrogatione XXV. in Genesim ac *Iohannem Damascenum* lib. II. de Fide Orthodoxa. Nam de regione, in qua sita felix illa sedes fuerit, nihil attinet dicere. *Melius est* enim, ut de hac ipsa quęstione disputans lib. VIII. de Genesi ad litt. Augustinus scribit, *dubitare de occultis, quam litigare de incertis*.

IX. Quoniam vero suscepta a nobis de terrestri Paradiso disputatio est postulat instituti ratio, ut de arbore scientię boni, & mali, & de arbore vitę quarum est a Mose facta mentio, differamus. Atque illas fuisse ab effectu nuncupatas nostrorum constans opinio est. Nam Iosephi Hebręi, Nemesii, ac Iohannis Damasceni, qui inditam illis scientię boni, & mali, immortalitatisque impertiendę vim esse censuerunt, explosa jamdudum est a nostris, & reprobata sententia. Etenim *rudis, & stulti ingenii est* ut lib. de Paradiso Moses Bar — lepha ajt *existimare arborem ullam boni, malique cognitionem largiri posse iis, a quibus ederetur, & esse*

arborem

arborem, qua si vescare, evadas immortalis. Quare probo quod scriptum ab Augustino est lib VIII. de Genesi ad litt. cap. VI. arborem scientię boni, & mali eó fuisse nomine appellatam, *quia si post prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat pręcepti futura transgressio: in qua homo per experientiam pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientię malum*; arborem autem vitę, *quia quamquam corporalem cibum, talem tamen eà arbor præstabat, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta*, ut eodem libro cap. V. Augustinus ipse scribit. Nam ab effectibus inditum nomen rebus frequentissime fuisse neminem in Scripturarum lectione mediocriter versatum fugit. Quare Iohannes Chrysostomus sermone VII. in Genesim, cum quęsisset *quà de causa, si non ipsa ligni natura scientiam habuit boni, & mali, sed ex ipsa pœna propter inobedientiam ob degustatum lignum illata manifestius hoc didicit homo, lignum scientiæ boni, ac mali vocatur?* ita gravissime respondit: *Quod nimirum hic Scripturæ mos sit, ubi res quępiam in locis, aut temporibus quibusdam acciderit, a rebus illis, & tempora, & loca vocare* — Mitto exempla quę ad id demonstrandum, & plurima, & gravissima eodem loco affert. Confer, si vacat, *Teodoretum* interrogatione XXVI. in Genesim, *Basilium Seleuciensem* Oratione II. de Adamo, ac *Severianum Gabalitanum* Oratione VI. de Mundi Creatione.

X. Verum est ad Protoparentem Adamum redeundum. Ergo cum adjutor similis eius non inveniretur, sopore in illum immisso cum obdormisset tulit unam ex costis eius Deus, eamque in mulierem ędificavit. Negarunt hoc nostrę Religionis hostes Celsus Epicuręus, & Iulianus Apostata, in iis libris, quos adversam Christianam Religionem perscripserunt. Itaque nostrum plerique, ut Scripturarum auctoritatem merentur, ad allegoriam confugerunt, ac priora tria Geneseos capita, explicanda figurate esse censuerunt, ut lib. VIII. de Genesi ad litt. Augustinus est auctor. Hos Thomas Cajetanus vir, & doctissimus, & de Christiana Republica optime meritus, sed in Scripturis explicandis antiquę traditionis parum tenax imitatus, parabolice, quę sunt a Mose de Evę productione narrata, exposuit. At horum opinio neque cum scriptura, neque cum Patribus componi ullo modo potest. Nam ut nihil de Mose dicam, cujus narratio detorqueri ad allegoriam nequit, quoties explicari proprie queat, auctor libri Ecclesiastici cap. XVII. *Deus*, inquit, *creavit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit eum.......* *creavit ex ipso adiutorium simile sibi*. Paulus item epist. I. ad Corinthios cap. II. *Non enim*, scribit, *vir ex mulier, sed muliere ex viro*. At si Evam eodem plane modo, quo Adamum, creatam existimassent, dixissentne *creavit ex ipso adiutorium simile sibi, non vir ex mulierer sed mulie, ex viro?* Pręterea Patrum, Interpretumque testimonia; Est enim illorum de re omnibus nota, atque explorata sententia.

XI. Neque vero minus, turpiter lapsus Cajetanus idem est, quo loco Evę tentationem, lapsumque figurate est interpretatus. Moses enim

&

& Serpentem unum ex terrę animantibus vocat, & Deum ita cum Serpente post patratum ab Eva, Adamoque scelus colloquentem inducit: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitę tuæ.* Hęc autem cadere in Diabolum nequire quis non videt? Quare Patres omnes veri Serpentis organo adhibito in errorem Evam induxisse docuerunt. Atque, ut alios omittam, Augustinus lib. XI. de Genesi ad litt. cap. XXVII. *Non est*, inquit, *permissus* (Diabolus) *tentare fœminam, nisi per serpentem, nec virum, nisi per fœminam: sed in serpente ipse loquutus est, utens eo velut organo, movensque eius naturam eo modo, quo movere ille, & moveri illa potuit ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem.*

XII. Cum igitur Diaboli fraudibus dolisque circumventa mulier in errorem incidisset, hominemque in idem scelus ipsa induxisset, ejecti ambo ex terrestri Paradiso a Deo O. M. fuerunt, Positusque Cherubim, qui aditu illos, eorumque posteros prohiberet. Est autem a nostris, existat ne modo felix illa sedes, magna diligentia, atque animorum contentione quęsitum. Sunt qui existere Paradisum in eoque versari Enochium, atque Eliam putent. Horum sententiam eruditissimus Malvenda in eo, quem de Paradiso terrestri scripsit libro, quem tanti Calmetus Interpretum omnium facile Princeps fecit, ut eum reliquis omnibus ejusdem in Scripturam commentarijs anteponeret, defendit. Sunt qui existere Paradisum quo ad locum, secus autem quo ad amęnitatem censeant; Est autem hęc Natalis Alexandri, Gravesonij, aliorumque recentium Scriptorum opinio. Postremo alii eversum omnino Paradisum neque ulla eius vestigia superesse, existimant. Quare nos, qui neque Patribus detrahendam temere auctoritatem, neque incerta quę sunt, veluti minime dubia defendenda esse judicamus, nostrum hac de re judicium esse cohibendum duximus. Nam in tanta opinionum varietate alterum fieri profecto potest, ut earum nulla, alterum certe, ut plus una vera sit, fieri non potest, quemadmodum de variis Philosophorum de Deorum natura sententiis disputans Cicero animadvertit.

XIII. Restat modo, ut Adamum, Evamque ęternam esse salutem consequutos, errasseque Tatianum, atque Encratitas, qui id negarunt, demonstremus. Constat autem hoc auctoritate Scripturę, cui adimi a nobis sine scelere auctoritas nequit. Nam Auctor libri Sapientię cap. X. *Hæc* (idest Sapientia) inquit. *illum, qui primus formatus est a Deo Pater Orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Non me latet parvi a Ruperto hoc Sapientię testimonium pendi. Verum is vehementer erravit. Nam Sapientię librum non esse Canonicum censuit. Quod si illum Canonicum fuisse existimasset, numquam profecto *incertam esse Adami salutem*, scripturamque illam *parvipendi majore libertate, quam suscipi* dixisset, Quamquam idem is Rupertus eodem loco cavendum esse diligenter, monet,

monet, ne quidquam hac in causa temere constituatur, cum opinionem illam ab Encraticis Hęreticis esse profectam constet. Quare fuerunt, qui Rupertum quo loco dubitari de Adami salute posse dixit, non quod ipsę sentiret, sed quod alii dixisse arbitrarentur. At ego verumne id sit, non admodum laboro. Sic enim statuo; Cum reliqui omnes Patres salutem esse adeptum Adamum tueantur, nullam a nobis Ruperti rationem fieri oportere. Reliquos autem Patres illud tueri, nemo est, qui ignoret. Legito *Irenæum* lib. III adversus hæreses cap. XXXIII. *Tertullianum* lib. de Pęnitentia cap. II. & lib. II. contra Marcionem cap. XXV. *Origenem* tractatu XXXV. in Matthęum. *Epiphanium* hęresi XLVI. *Gregorium* lib. VII. epist. XXXIV. ad Eulogium, aliosque quamplures, quorum sunt a Nostris collectę ea de re, ac recensitę sententię.

XIV. Age nunc, quę ad Enochii vaticinium, translationemque spectant, expendamus. Ac Enochium hominibus extremum judicium prędixisse, S. Iudas in epist. Canonica vers. XIV. & XV. quo loco Enochii vaticinium recitat, est auctor. Quare Clemens Alexandrinus Iustinus Martyr, Tertullianus, aliique nonnulli, cum vaticinium illud ex eo, qui circumferebatur, Enochii libro translatum fuisse ab S. Iuda censuissent, librum illum maximo in pretio veluti Canonicum habuerunt. Ego vero tantum abest, ut illis assentiar, ut libellum illum non ab Enochio divini Spiritus aflatu perscriptum, sed ab Impostore aliquo confictum, editumque sub Enochii nomine existimem. Nam quę in eius fragmento, quod editum ab Syncello, Scaligero, Hircherioque est, de Angelorum cum mulieribus connubiis narrantur, non modo homine divino aflante Spiritu scribente, sed quolibet tandem, qui pietatem colat, sunt omnino indigna. Quare Sapienter reliqui Patres esse illum in nothis habendum judicarunt. Adeundi sunt *Origenes* homil. XXVII. in librum Numerorum, & lib. V. contra Cellum. *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Iuda* Apostolo Fratre Iacobi, & in epist. ad *Titum* cap. I. ac. postremo *Augustinus* lib. XV. de Civitate Dei cap. XXIII. & lib. XVIII. cap. XXXVIII.

XV. Iam vero Enochium a Deo O. M. translatum, neque adhuc mortuum, non modo Nostri, sed Rabbini etiam plerique (quamvis sunt ex iis nonnulli, qui hoc pertinacissime inficiantur.) defendunt. Nam etsi verba illa, quibus Moses utitur, mortem etiam aliquando significent, attamen raptum interdum iisdem significari ex lib. IV. Regum cap. I. constat. Quare, ut adversarii mortuum fuisse Enochium demonstrarent, demonstrandum illud antea erat, formula illa, vel semper, vel certe eo loco interitum significari. Verum id numquam profecto demonstrabunt. Nam ex iis, quę & antecedunt, & subsequuntur non mortem, sed translationem designari a Mose voluisse tam est perspicuum, ut cęcutiant necesse sit, qui hoc non videant. Huc, & auctoris Libri Ecclesiastici, & Pauli testimonia accedunt. Ille namque cap. XLIV. *Enoch*, inquit, *placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pęnitentiam*. Hic

autem

autem in epist. ad Hebręos cap. XI. *Enoch*, inquit, *traslatus est ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit eum Dominus*. Age vero si e vivis Enochius decessisset, quo tandem modo Enoch translatus est in Paradisum &c. Enoch translatus est, ne videret mortem dixissent? Pręteréo Patres. Omnes enim hoc mira consensione tuentur. Quare S. Hieronymus Enochii translationem inter illa Fidej dogmata recenset, quę salva in Deum fide negari nequeunt. Nam in comm. in epist. ad Philemonem: *Credit*, inquit *qui spiam in Conditorem Deum? Nemo potest credere, nisi prius crediderit vera esse de Sanctis eius, quæ scripta sunt. Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illus, & latere fabricatam, Enoch translatum* &c.

XVI. His autem, qui a nobis, quo translatus Enochius fuerit, inquirerent, graviter est ab Chrysostomo, ac Theodoreto responsum. Ac Chrysostomus quidem homil. XLVII. in Genesim: *Si quis*, ait, *curiosius rogare velit, & dicere: Et quo ipsum transtulit, & num usque ad pręsens vixerit? Discat non convenire humanis cogitationibus obsequi, & curiosius ea, quæ a Deo fiunt, explorare, sed credere his, quæ dicuntur*. Theodoretus autem interrogatione XLV. in Genesim: *Non inquirenda sunt*, inquit, *quæ silentio sunt tradita, sed veneranda.* Non ignoro plerosque veterum in Paradisum terrestrem Ecclesiastici, ut arbitror, auctoritate permotos translatum Enochium defendere. Sed eorum est incerta auctoritas. Quare dissidentibus inter se Patribus, quam malit, sequi Nostrum quisque opinionem potest. Etenim paucorum auctoritas, ut probabilis sit opinio, facit, ut certa sit, non facit. Nam ad Ecclesiastici testimonium quod attinet, nihil eruj inde posse, est a plerisque demonstratum. Quamobrem Rupertus lib. III. Comm. in Genesim cap. XXXIII. *Nusquam*, inquit *Scriptura dat intelligi, quod Enoch, & Eliam Deus tulerit in ipsum Paradismu ...., sed ita sublati sunt, ut in secretam quamdam regionem terræ ducerentur, ubi in magna carnis, & spiritus quiete viverent, quousque ad finem Mundi redeant, & mortis debitum solvant*.

XVII. Interea temporis cum vitiari hominum animi cępissent *videntes Filij Dei filias hominem, quod essent pulchrę, assumpserunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*, ut cap. Geneseos VI. Moses narrat. Porro quos Filios Dei Moses appellat, Sethi posteros, quas autem filias hominum, Caini, Lamechique filias fuisse, est omnino perspicuum. Quamobrem S. Iohannes Chrysostomus homil. XX. in Genesim, cum homines Dei filios appellari in Scripturis plerisque earum testimoniis ostendisset: *Prius*, inquit, *Docuimus vos morem esse Scripturæ, ut homines Dei filios vocet. Et quia isti a Setho originem trahebant, & ab eius filio, qui appellatus est Enos: dicit enim:* Iste speravit vocari nomine Domini Dei: *ab illo postea nati vocati sunt filii Dei in Divinis Scripturis, propterea quod eo usque Parentum virtutem imitati sunt; Filios autem Cain, & qui ex eo nati. ... filios hominum vocat.* Confer *Cyrillum Alexandrinum* lib. II. Glaphyrorum in Genesim. *Theodoretum* interrogatione XLVII. in Genesim. & *Augustinus lib.* XV. de Civitate Dei cap. XIII.

XVIII.

XVIII. Quę cum ita ſint, errarunt vehementer Antenagoras, Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, aliique veterum, qui cum in corruptos codices incidiſſent, vitiatas ab Angelis mulieres, Giganteſque genitos exiſtimarunt. Itaque acriter eſt ab reliquis Patribus illorum opinio confutata. Angeli enim corporis expertes cum ſint, neque nubere, neque gignere filios poſſunt. Quare jure optimo ſententiam illam *fabulam inconſiderate loquentium*, *abſurdam*, & *blaſphemam* S. Iohannes Chryſoſtomus loco laudato, eius vero Patronos *nimis ſtupidos, ſtolidoſque* Theodoretus appellat. *Quo enim pacto*, ut Cyrilli Alexandrini loco indicato verbis utar, *non ſtultitię proximum ſit dicere Spiritus carne ſuperiores, ab eaque ſemotos carnalium amore tangi?*

XIX. Cum igitur vitiati hominum animi fuiſſent, quemadmodum eſt a nobis paulo ante traditum, CXX. annorum ſpatium pręſtituit Deus, quo ſcelera omnia pęnitentia expiare, ęxcidiumque avertere homines poſſent. Scio Philonem, Lactantium, & Rupertum, quos Teſtatus Abulenſis Epiſcopus eſt ſequutus, verba illa Geneſeos cap. VI. de vitę hominibus conceſſę ſpatio explicare. Verum id magno in errore verſantur. Nam fuiſſe poſt diluvium, qui ducentis, quadringentis, quingentiſque annis vixerint, tam certum eſt, ut negari a nemine ſine temeritate poſſit. *Non igitur*, ut Hieronymus ſcribit (libro traditionum Hebrajcarum in Geneſim) *umana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta eſt; ſed generationi illi centum viginti anni ad pænitentiam dati ſunt*. Legi etiam poteſt *S. Iohannes Chryſoſtomus* homil. XXII. in Geneſim, & *Auguſtinus* lib. XV. de Civitate Dei cap. XXIV.

XX. Extremum eſt, ut Iſaacum Pereyrum, Iſaacum Voſſium, alioſque perpaucos, qui univerſale fuiſſe Noeticum diluvium negarunt, refellamus. Quamquam hoc mihi tam eſſe perſpicuum videtur, ut verear, ne rem minime dubiam, dubiam argumentando faciam. Elevatur enim argumentatione perſpicuitas, ut eſt ab Cicerone lib. III. de natura Deorum adnotatum. Et ſane ita eſt a Moſe Noetici diluvii narratio deſcripta, ut ſecus explicari illa nequeat. Nam ſi univerſale Noeticum diluvium non fuit, quo tandem modo *aquæ omnia repleverunt in ſuperficie terræ, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo Cælo?* Quomodo *conſumpta eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram?* Quomodo *univerſi homines, & cuncta, in quibus eſt ſpiraculum vitæ, in terra mortua ſunt?* Itaque, & Chriſtiani omnes, & Iudęi univerſale Neoticum Diluvium fuiſſe, conſtanti, neque ullo umquam tempore interrupta traditione judicarunt. Vide *Ioſephum* lib. I. contra Appionem, & lib. I. Antiquitatum Iudaicarum cap. IV. Nam Patrum teſtimonia vel, proferre vel indicare, & moleſtum eſſet, & in re certiſſima minime neceſſarium. Quid cum Ethnici ipſi Noetici diluvii, eiuſque univerſalis meminerint? Conſulendi ſunt *Beroſus Chaldæus* apud Ioſephum lib. I. antiquitatum cap. IV. *Abydenus* Aſſyrius apud Euſebium lib. IX. Pręparationis Evangelicę cap.

XII.

XII. *Alexander Polyſthor* apud S. Cyrillum Alexandrinum lib. I. contra Julianum. *Lucianus* lib. de Dea Syria. *Melo* in opere adverſus Iudęos, ut refert Alexander Polyſthor apud Euſebium lib. IX. Prępararationis Evangelicę cap. XIX. ac poſtremo *Nicolaus Damaſcenus* lib. XCVI. hiſtorię univerſalis apud Ioſephum loco laudato. Cum igitur id Scriptura tradat, doceant Patres, Iudęi confirment, ethnici ipſi fateantur, quis erit tam demens, qui hoc non dicam negare, (id enim temeritatis eſſet minime ferendę) ſed vocare in controverſiam audeat? Nam Pereyri, Voſſiique argumenta, & confutata ab aliis ſunt, & a nobis, cum ea de re in diſputatione quęretur, facili, ut ego quidem ſpero opera, nulloque negotio confutabuntur.

LAUS DEO.

IMPRIMATUR

Si videbitur Adm. R. P. V. R̄m̄i Pat. Mag. Sac. Palat. Apost.
G. F. *Paitelli Vic. General.*

IMPRIMATUR.

Fr. Jacobus Bodchin Ord. Præd. R̄m̄i Pat. Mag. Sac. Pal. Apost. Vicarius.